HISTORIA FVNEBRIS IN OBITV DIVI SIGISmundi Sarmatiarum Regis. & ad Sigismundum Augustum filium admonitio. Authore Petro Royzio Maureo Hispano Celtibero.



Regem hominum amisi infœlix regina uolucrum:
Perpetuo planctu qui mihi flendus erit.
Hei mihi sed non est clangor lugentibus aptus:
Flebilibus non uox conuenit ista modis:
Mutemus: Regem ut dominum mæstissima plangã:
En Sceptrum: luctus da mihi Cycne tuos.

AD LECTOREM.

Mœsta Sigismundo cantatur nenia Regi:
Funebrem Lector hic legis historiam.
Vt moriens terras, homines, sceptrumque reliquit:
Atque ima ascendens astra petiuit humo.
De uita nonnulla leges: queis scribere plura
Si potui Lector; omnia non potui.

HISTORIA FVNEBRIS IN OBITV Diui Sigiſmūdi Sarmatiarū Regis. & ad Sigiſmundum Auguſtū filiū admonitio. Authore Petro Royzio Maureo Hiſpano celtibero.,.

QVis cœlo gemitus flentum? quis luctus ad auras?
Cracouia in magna, ciues, quæ funera cerno?
Fata Sigiſmundum Regem, crudelia fata
Inuidere orbi, & ſublatum morte tulere.
Viuere dignum olim, terris ſi fata dediſſent,
Rege orbata ſuo miſcentur mœnia Gracchi:
Et grauidus lachrymis ingens ferit æthera planctus.
Rege orbata ſuo cœlum Bona quæſtibus implet
Coniunx, heu iam non coniunx, ſpoliata marito
In uiduis plangens ſtratis, ſecat unguibus ora:
Ora, genaſq; ambas, & rumpit pectora pugnis.
Dilaniatq; comam incuſans hominesq; Deoſq;:
Et quæ non? cœlum ne quicquam accuſat & aſtra.
Ingeminant natæ planctus, chariſſima matris
Pignora, deliciæq; patris, dum uita manebat.
Amiſum patrem, tria uirginis ora dianæ
Hinc Sophia, inde ſequens æuo, haud uirtutibus Anna;
Vltimus & partus magnæ Catharina parentis.
Tres natæ lugent: lamentiſq; atria complent.
Ora madent: lachrymæq; genis uoluuntur obortæ.
Luminaq;, iratos poterant quæ flectere diuos:
Quæque uelut ſtellæ uultu emicuere ſereno:
Ploratu multo & lachrymarum flumine turgēt.
Fama mali tanti paulatim it ſparſa per urbes:

Sarmaticos & agros, & luctibus omnia miſcet.
Purpura lugubri paſſim mutatur amictu:
Atq; pice infectum tyrio pro murice uellus
Succedit, lanæq; rudes, atq; aſpera lina:
Quæ nullos ſoles, quæ nulla hauſere fluenta.
Gēma procul, procul omnis Onyx, uirideſq; Smaragdi:
Infractuſq; Adamas, & cædere uiribus ullis
Neſcius: ingeminanſq; ignes ceu flamma Pyropus.
Et fuluo quondam quicquid concluditur auro.
Non digitos uinclo fulgens premit annulus arcto:
Non collo torques pendent: textæue corollæ
Flauentes ſtrinxere comas, non uertice criſtæ
Exultant coniq; uagi: non ulla iuuentæ
Apparent decora: eſt uultus toto æger in orbe
Sarmatico: in tanto & facies triſtiſſima luctu.
Flet plebs: flet ciuis: flet eques: flet & ipſe ſenatus.
Flet Regina uirum: flet caſtus præſul ad aras.
Om̄ia ſunt luctus: lachrymæ undiq;, & undiq; plāctus.
It flentum late cœlo illætabile murmur.
Fletus ubiq; ſonat: luctuſq; auditur ubiq;.
Aſt, Auguſte, tuas nondum uox triſtis ad aures,
Nunciaq; extincti peruenit fama parentis:
Longinquum te alio Lithuania ſubmouet orbe:
Ignorare diu ſed te tua uulnera præſul
Haud paſſus pius, extincti tibi funera patris
Qui referat, lachrymiſq; madens ægerq; dolore
Vix fatus Samuel, curſu iubet ire citato.
Nuncius is: mæſti fers & ſolatia caſus,
Prærembi, primis quem uirtus extulit annis:

Ante

Ante pilos & quæ uenit prudentia præcox.
Cassum anima multo interea lauat imbre cadauer:
Persoluitq; pio Regi decora ultima uitæ
Præsul: & Augusto sacras de more lacernas,
Arte laboratas uestes, auroq; rigentes
Inducit: sceptrum dextræ, læuę inserit orbem:
Et capiti imponit Regnorum insigne coronam.
Accingitq; latus, quondam ceu uiueret, armis:
Exanimes artus, stimulisq; armauit acutis,
Calcem utrumq; aptans: diuisq; in uota uocatis.
Æterna corpus Regale recondit in urna.
Tandem, Auguste, tuas percellit nuncius aures:
Iam tua lamentis impletur Regia: Regem
Rex luges, patrisq; absens fles funera natus.
Vilna omnis tecum, atq; omnis Lithuania tecum,
In lachrymas it fusa, cietq; ululatibus auras.
Nec uos, Pannonico quarum altera uiuit in orbe:
Altera Theutonico, iam matres, altera Regis,
Principis hæc magni coniunx, in patris amati
Funere prolatu mæstæ parcetis acerbo:
Cum cecidisse senem ad uestras peruenerit aures.
Quo tu Alberte nepos luctu, quo funera uultu
Audita accipies? & auunculus occidit, & Rex,
Dux Alberte tuus, per quem tibi sceptra relicta,
Imperiumq; tenes Pruteno ductor in orbe:
Paceq; perpetua frueris, uicina tot inter
Bella, tot insano surgenti in prælia Marte.
Vosq; Duces, late seruit queis Theutonis ora,
Hospicio Regi longęuo, & fœdere iuncti

Coniugij, quibus ipse suas sociare sorores:
Dignatus, magnos dat Iagellonis honores.
Nec te transierim Cæsar, fratremq; Quirinum:
Arma exultantes inter, totq; undiq; bella,
Victores ambos, dignos successibus ambos.
Sanctum flete senem, lachrymis nec parcite obortis:
Vos dolor hic tangit, Rex sanguis uester obiuit:
Austriaca de matre genus qui ducit auitum.
Vestraq; qui, quicquid uictricia signa tulere,
Pectore lætatus toto est: uicisset ut ipse:
Albentemq; aquilam uicto retulisset ab hoste.
Contra si quando rumor malus attulit hostis
Successus uestri: noctes uigilauit amaras:
Insomnisq; iterum candentem uidit Olympum.
Ergo senem moesti fratres ploretis amicum.
Quin Reges omnes, solio qui insiditis alto,
Sanctum flete senem: quo Regia sceptra Magistro
Sustentastis adhuc: hic uestris regula Regnis.
Atq; orbi fuit: horrendo seu uertere bello
Hostiles acies, sedit: seu regna paterna
Imperio regere, & moderari legibus æquis:
Perpetua & populos in pace tenere uolentes.
Seu promissa fides, percussaq; foedera quondam
Pacifica seruanda manu: & rata dicta tuenda.
Ore suos sensus parco mentemq; resoluit:
Oraclum tanquam coelo uenisset ab alto:
Verba sonis fuerant: nullis obnoxia dictis.
Ancipites lites, perplexaq; soluere iura
Promptus, & ambiguos causis distinguere sensus,

Insons

Insons non illo damnatus iudice fleuit.
Iustitiæ cultor, sed & idem parcere suetus:
Scilicet in ueniam procliuior, illius unum.
Hoc uitium, in sontes paulo clementior æquo.
Nostra pium magis hoc, uidit nil sanctius ætas:
In terris uixit, superos ceu uiueret inter
Cœlitibus similis: non ulli noxius unquam:
Vtilis at multis, diuum haud neglexit honores
Multa sed exsecto construxit marmore phana
Seruatori hominum, sublimibus edita tectis:
Regis opus: diuis sacras erexit & aras:
Et statuas posuit: spirantia dixeris æra.
Turrigerasq; bonus, quas hosti opponeret, arces
Eduxit coelo: medijsq; in nubibus egit.
Iamq; dies aderat, manes inferre sepulchro:
Æternamq; urnæ sedem dare: & æthere casso:
Luna quater coelo caput occultarat honestum:
Sancti post obitus Regis: rediuiuaq; fulsit
Orbe quater pleno, tunc nota ad mœnia Gracchi
(Rex ubi lœtum obiens, supremaq; funera uidit:
Et iacet exanimis multo cantatus honore)
Conuenere omnes: heu mœsta ad mœnia Gracchi,
Huc populus late circumfluit undiq;: & omnis
Regis ad inferias pullata Polonia uenit.
Hic Lithuanus adest: hic omnis Russia: & armis
Quesitæ gentes, deuictaq; Prussia bello.
Victoris spectare obitus, & tristia iusta
Mœrentes iuuat, & lachrimis decorare sepulchrum

Clementis

Clementis Regis : cuius mitissima semper
Imperia experti, sæui non ora Tyranni,
Exanimem lugent, plorant, Regemq; patremq;
Amisisse omnes : tales urbs mæsta querelas,
Turbaq; plangentum fundit : mistiq; Polonis
Externi populi gemitus ad sydera iactant.
Multi oratores uarijs ex partibus orbis
Aduenere, ferant cineri qui extrema beato.
Tu Gulielme uenis a magno Cæsare missus :
Illo fortunæ domino, belliq; potenti,
Illustris Gulielme : dapes cui munus auitum,
Augustas præferre : sacrisq; imponere mensis.
Pars idem magni arcani, & non ultimus aulæ
Cæsareæ, pietas quem tollit & aurea uirtus.
Malzanus, Fernande iubes Rex magne Quiritum,
Inferias pro te dilecti Regis honoret,
Ad tumulum chari misso oratore parentis
Pannoniæ Regina suum testata dolorem est.
Et tu Romulei- tu pars Otho magna senatus :
Cardineus quem tollit apex : Augustaq; iactat
Pontificem : patrum uestigia nota tenentem
Priscorum : magniq; tuentem iura Quirini.
Deploraturum misisti ad funera Ræmum :
Funera, Regis : erat (si quis pius) illius : unus
Qui casta diuos in relligione colebat :
Nullis inde hominum depulsus uiribus olim,
In numerum dignus referat quem Roma piorum :
Defunctoq; aræ meritos decernat honores.
Aduenere alij, claris gens Regibus orta.

Regales

Regales iuuat inferias quos cernere coram.
Non Albertus abest (quo se duce Prussia iactat)
Qui consanguinei deploret funera Regis.
Marchio uon alter : quem Brandemburgia tellus
Tot uictis ducibus, populis tot marte subactis :
Ingentem Carolo gaudet peperisse triumphum:
Subqꝫ iugum dextra gentem misisse rebellem.
Landgrauius comes huic Leuthenburgæus adhęsit :
Cæsaris arma quoqꝫ, & uictricia signa secutus :
Exultans nuper media inter prælia uictor :
Flet magni Regis lachrymis nunc funus obortis
Dux Venceslaus non iustis defuit istis :
Dux Tessine tuus: Regum generosa propago:
Relliquiæ clara ueteris de gente piasti:
Mansuetus, pius & clemens, mitissimus heros :
Esse decet qualem Regali a stirpe profectum :
Dignus auo, & quondam moderāda ad sceptra uocari.
Cultus ubiqꝫ dies matri sacer annuus Annæ
Fulserat : inferijs dictus mœstissimus ille,
Ille dies : celsam cum magni Regis ad aulam
Turmatim plenisqꝫ uijs inde itur & inde.
Regia lamentis ululatuqꝫ excita tristi
Auditur late : mœstiqꝫ ad sydera cantus
Pontificum, cœtusqꝫ sacri : qui plurimus ante
Stat Regem exanimem tecti in penetralibus altis.
Ecce autem multą hic consumpta parte diei,
Flendo, torquendo & miseros singultibus artus :
Lugubre Regali funus procedit ab aula :
Multi quod populi comitantur & agmina late.

Stamine strata uia est nigranti, & uellere pullo.
Pontificum hic ordo multis cum millibus ibat
Præsbyterum, generisq; sacri: lachrymasq; canendo
Miscebant hymnis: ingrataq; funera flebant.
Ante omnes Samuel, Gracchi iustissimus urbis
Antistes: Samuel fletu rigat ora profuso:
Regis & annosi fatum ceu plorat acerbum:
Illum ut dilexit quondam, dilectus ab illo.
Turba deinde inopum sequitur: bis mille ferebant
Hinc atq; inde faces: nigrans pice uisitur agmen:
At flammis superant fulgentis lampada phœbi.
Hic uexilla sinus pandunt: quæ plurima bello
Assueti præferre duces, & tendere dextra:
Arma olim cum Rex inimicum ferret in hostem:
Terdeni gessere uiri: lectissima corda:
Triginta post deinde auro uestita feretra.
Hic cataphrattus eques grauibus circūdatus armis
Tarlo, bonus bello, & magnis uir strenuus ausis.
Dextra ensem uerso in terram mucrone ferebat.
Pone subit iuuenis: scutum qui portat & hastam
Obuerso in terram ferro, tristissima uterq;
Fata Sigismundi signant: cum uita manebat,
Assueti non hac specie ferre arma: uirosq;
Surgere in aduersos: inimicaq; fundere castra.
Post hos ibat eques Regali indutus amictu:
Ordo quem procerum sequitur: magnusq; senatus.
Quattuor hic patriæ de more insignia Regni
Sauromatum primi portant: ille optimus armis,
Ille animisq; ingens, belloq; imperdita uirtus
Tarnouius

Tarnouius, Regni pręfert inſigne coronam.
Cmithaqꝫ magnanimus ſceptrum, fortiſſimus heros,
Se ſe auſis tollens, & cædere neſcius ulli.
Orbem auro grauidum Tencinius ille ſeuerus
Ora ſenex, & conſilijs non ultimus author.
Fert gladium Volſcus florens cultuſqꝫ iuuenta.
Triſte deinde urbi fertur lachrymabile funus:
Extincti Regis cineres, & flebilis urna.
Centum humero obnixi heroes ſubiere feretrum:
Mille faces circum (quas fert attrata iuuentus)
Hinc atqꝫ inde micant, Rex hic mœſtiſſimus ibat
Auguſtus: patriſqꝫ idem de nomine dictus
Rore Sigiſmundus ſacro dum tingitur infans.
Triſtia fata patris lachrymis uelut imbre uolutis
Ora per atqꝫ genas queritur: plangitqꝫ querendo:
Pectoraqꝫ aſſiduis quaſſat ſingultibus ægra.
Pone ſubit Bona Sforciadum gens: indeqꝫ natæ:
Hæc orbata uirum, patris ille funus amati
Ingenti lugent planctu, lachrymiſqꝫ ſequuntur
Virgineus chorus has comitatur & agmina matrum.
Poſtremo ciues ſubeunt, urbiſqꝫ Senatus,
Hoc uicina adeunt facto ordine templa deorum:
Sauromatum cineres mos eſt ubi condere Regum.
Non capiant delubra omnes licet ampla: nec ingens
Area quæ contra eſt: non & uicinia tota.
Ergo pars templum ingreditur: conſiſtere circum
Pars iuſſa eſt: magnæqꝫ ſacrorum cædere pompæ.
Ante aras ingens mœſti poſuere feretrum:
Quod ſanctos claudit cineres: inſignia Regni

Quo ſuper imponunt : gladiumqꝫ orbemqꝫ coronãqꝫ
Et ſceptrum proceres : hinc cætera & inde feretra.
Hic Rex Auguſtus ſolio conſidit in imo :
Inde Bona, hinc natæ : circum populuſqꝫ patreſqꝫ,
Cum lachrymiſqꝫ preces fundunt: diuoſqꝫ precantur :
Iuſtam animam cœlo accipiant, dentqꝫ æthere ſiſti.
Æternumqꝫ altis agitare in ſedibus æuum.
Idem omnes, plebs hoc populuſqꝫ patreſqꝫ fremebant:
Et ſacer anſanctas chorus hoc poſcebat ad aras:
Pontifices, caſtiqꝫ omnes ex ordine patres.
Tempus erat triſti cineres inferre ſepulchro :
Regales cineres, & manes condere terra.
Ingratum tollunt ergo lachrymando feretrum
Sauromatum primi : Rex & qua conditur urnam
Deuoluunt foſſam demiſſo fune ſub imam.
Hic maior populi fletus, maiorqꝫ frementum
Exoritur clamor : quaſi nunc cecidiſſet amatus
Sauromatum pater & princeps : non ante periſſet
Caſſum anima cum mors frigentem liquerat atrox.
Templum ergo gemitu compleri ; omnemqꝫ uideres
Gracchi urbem fremere : & triſtes cœlo addere uoces.
Quales, captiua ſæuit cum miles in urbe,
Eduntur fremitus: ferturqꝫ ululatus ad auras.
Vertitur interea cœlum: & nox incubat atra:
Veſpereqꝫ immiſſo tenebris inuoluitur æther.
Poſtera cum lucem terris aurora reduxit :
It Gracchi mœſtam funebris pompa per urbem :
Heſterno uelut ante die, mœſtiſſima pompa.
Lugenteſqꝫ ferunt uacuum per templa feretrum :

Inferiasq; canunt Regi, lugubreq; carmen.
Pulsa sonant campana altis in turribus æra:
Ingeminantq; urbis luctum, cœlumq; remugit:
Et crebris ictus resonat tinnitibus æther.
Pontifices passim faciunt per templa Deorum
Sacra: Leonardus canit hic: Droieuius illic:
Doctrina hic præstans: pietate & moribus ille:
Cultor iustitiæ ac obseruantissimus æqui,
Chelma tuus præsul dignus maiore tiara.
Iaducius sacras Annæ cantabat ad aras:
Iaducius doctus perplexas soluere lites:
Atq; foro cohibere homines, & lege Quiritum
Optimus: inferior prisco non ille Lycurgo:
Non pandionio, celebrat quem fama, Dracone.
Ad Stephani tu Noscoui, quo Plosca beata est
Præsule: nec sentit Samuelem nuper ademptum:
Sic quoq; tu mitis, bonus es, mansuetus & æquus.
Virginis ad Mariæ dictis Isdbennius acer:
Templorum uindex & relligionis auitæ:
Sacra canit, Regiq; Deos exorat amicos.
Ipse Dei ad trini præsul Zebridouius aras
Sacra facit: bonus ingenio, linguaq; disertus:
Et magni præstans inter consulta senatus.
Interea delubra Deum funebris obibat
Pompa: precesq; orans alto fundebat Olympo
Rex, proceresq; omnes, lachrymisq; urbs tota profusis.
Illo templa die cecinerunt flebile carmen
Solis ad occasum: soluitq; elegia crinem.
Tercia lux finem inferijs iustisq; datura

Fulserat: & coelo steterat sol arduus alto.
Conueniunt ad templa omnes, populusque patresque
Rexque madens lachrymis: huc Regia fluxerat omnis.
Sacra facit diuosque orat Nicolaus ad aras
Gnezna tuus præsul, quem Sarmatis ora magistrum
Supremum accepit: solioque insidere iussit
Pontifices supra, templisque præesse deorum.
Defuncto ueniam Regi pacemque rogabat,
Æternam & nullo perituram tempore uitam.
Surgis tu Samuel inter sacra (magne sacerdos,
Gentis honor patriæ, & decus immortale tuorum:
Macte pia Samuel Diuum uirtute) toroque,
Vnde docere soles populos, exorsus ab alto
Dijs dignam Regis uitam, coeloque renarras:
Quam pius ille, bonusque fuit: quam iustus & æquus:
Mitis, mansuetus, quam non iniurius ulli.
Quam belli exosor fuerat, quam pacis amicus.
Denique uiuus adhuc supero quam dignus Olympo:
Quem pedibus nunc calcat ouans: æternaque carpens
Gaudia coelestes inter stat in arce uolucres.
Luce refers illa, uicto qua Christus ab orco
Surrexit, uitę defunctum munere Regem.
Et comitem Christi terras liquisse iacentes.
Inde cies lachrymas, cum mortem & funera narras.
Lætitiam hinc, coeli memoras cum gaudia læta.
Sacri finis erat: patri & missa hostia magno,
Hic cataphrattus Eques (talem solennia Regum
Iusta ferunt finem) magno cadit ante feretrum
Impete: fusus humi præsentat funera Regis.

Inde

Inde bonus galeam gentis de more paternam
Augustus iacit ante aras : iaciendoq; plangit
Extremos obitus, & chari funera patris.
Scutum hic in terram, gladium iacit ille coruscum :
Longam alius magnis infringit uiribus hastam :
Tela, quibus quondam medios tendebat in hostes
Marte Sigismundus fœlix, & maximus armis.
Hic mox deinde sudes aulæ fregere Magistri :
Imperio uelut amisso, non ordine certo
Ire iubere homines, famulasq; incedere turbas
Dein fore ius illis. simul hic & publica signa
Franguntur : ferroq; excissa recædit imago
Regalis gemmæ : qua Rex mandata solebat
Signare, & penitus subiectas cudere cæras.
Hic Rex (restituens tanquam retro omnia) Regni
Vexillum inprimis, qnod summa infigitur hasta,
Extollit terra : mediasq; extendit in auras :
Victores signans superesse, & robora belli :
Signa olim & possint qui inferre, & tendere dextra :
Fortiter & patrijs depellere finibus hostem.
Sustulit & sceptrum, Regniq; insignia terra
Cætera : quæ dextra patribus dein porrigit ultro.
In se stare situm signans tibi Sarmata Regnum :
Patre Sigismundo non interijsse perempto.
Restat adhuc alter : solio qui insidat in alto :
Et populos post hac moderetur legibus æquis.
Atq; alia hic Regni profert Rex publica signa.
Porrexit magno Samueli hæc : illa fideli
Dat Grabiæ : uice qui Samuelis munus obiret.
Inde

Inde ſudes alias aulæ retulere magiſtri.
Hic finem accepit Regis lachrymabile funus:
Triſteſq; inferiæ.flentes ſua quiſque petebant,
Ille urbem,iuſtis repedat rus ille peractis:
Mœſti omnes, triſti uoluentes pectore curas.
Rege Sigiſmundo populorum patre perempto.
Sed ſuperas, Auguſte,patriſq; & Regis imago:
Rex natuſq; idem: ſceptriq; & nominis hæres.
Te deſyderium regnando extinguere patris
Conuenit: & meminiſſe olim uirtutis auitæ.
Ne te pœniteat noſtrum percurrere carmen,
Qualiacunq; fero, uatemq; audire monentem.
Verum ſemper ama iuſtis monitoribus æquus,
Solis claude tuas aſſentatoribus aures:
Peſtis enim Regum eſt certa & lœtale uenenum
Blandus adulator,uita,ſuſpectaq; uerba
Semper habe lita melle: latent aconita ſub illis,
Aſpera ſæpe iuuant: aures Auguſte patentes
Conſilijs præbe: non biſſus & aurea torques
Commendent tibi dicta: micans uel in indice gemma.
Sæpe etenim ſapit & uulgus: nec inutile ſuaſit
In tenui tolerat qui iras Aquilonis amictu.
Ergo tuæ quæ ſunt partes Auguſte memento,
Atq; animum regno moderando intende paterno.
Prima tibi fidei ſit cura: ſit altera legum:
Tertia militiæ,diuos ſic ipſe fauentes,
Sauromataſq; tuos pace experieris & armis:
Armatuſq; tuas aquilas trepidauerit hoſtis.
Omnia ſuccedent: caſuſq; euaſeris omnes

Fortunę:

Fortunæ: quicunq; manent, dijs usus amicis.
Macte animis ergo Rex res accingere ad istas:
Relligio neglecta uides ut sacra, Deiq;
Omnis honor iacet: ut squallent altaria multo
Plena situ, cœliq; decus moriturаq; nunquam
Gloria diuorum ueteres iam nescit honores.
Quisq; suos imus in ritus: non sua uulgus
Dogmata confingit, colit hic, quod despicit ille.
Ille suos, trahit ille suos: diuersa sequuti
Scindimur: & Christum non ijsdem legibus unum
Diuersi accipimus: uarijsq; erroribus acti
Damnamus, laudamus amat sua uulgus, & errat.
Nulla sacerdoti reuerentia: non metus ullus
Pontificem agnoscit: qua quisq; libidine raptus
Fertur, it huc præceps: impuneq; sacra fatigat.
Deuotusq; olim, credit ludibria diras.
Redde Deo meritos, quos abstulit error, honores:
Dissectæq; urbes turbant, & mobile sæclum.
Quale decus templis, cum Petrus Bariona quondam
Cum socijs, raptusq; astris claræ incola Tharsi
Commissos Christi populos in pace regebant:
Tale Auguste tui uideant te Rege Poloni:
Non tua Pontificum partes manus occupet, opto:
Crudeles in te diuum ne excitueris iras:
Ausus ut Oza olim labentem feruidus arcam
Attrectare manu, & se se immiscere negatis:
Non tibi, non o Rex ueuiat tam dira cupido:
Iustum quin potius clypeo tuearis & armis
Pontificem: templis morem sine ponat & aris

Ille uoluntatem Diuorum edisserat: ille
Afflatus coelo discernat sacra profanis.
Illud cum populo patribusq́, Auguste, sequaris:
Quod sanctum uocat hic: quod nō, hoc crede profanū.
Pontifici ius est ritus indicere templis:
Tutari tibi; contemptum nec ferre sacrorum.
Pontificis spernit qui mitia iussa, furentem
Vindicis ille manum Regis, formidet & irā.
Qui temnit patrem coeliq́ erebiq́ potentem:
Cui sedes aperire datum est, & claudere Diuum,
Atq́ leues animas in Ditia mittere Regna;
Arbitrijsq́ suis inferre potentibus æthræ.
Soluere cui quondam ius est, & nectere uincla:
Æternis nullo soluendis robore nodis.
Deniq́ cui coelum domino, cui tartara parent:
Humana non ui, sed uoce iubentis Iesu.
Hunc qui contemnunt, & iussa capessere mussant;
Ausi quin etiam ceruicem attollere contra,
Castiga, poenisq́ aspris, & lege coerce:
Iura Dei tutare: tuos sons imbuat enses.
Hoc incumbe in opus: Dijs Rex uteris amicis.
Proxima iustitiæ cura est: quæ maxima cura
Sit tua Rex: etenim Regno quid pulchrius illo?
Fert ubi quisq́ suum: non hic rapit illius, ille
Non rapit huius opes, rebus contentus auitis
Et iustis parto studijs, ubi lædere quemquam,
Grande nephas: ferroq́ manus armare nocenti
In caput alterius: struere aut peioribus ausis
Insidias, & fraude malos meditarier astus:

Inuisum

Inuisum. populus patres ubi pronus honorat:
Plebs ciuem: Regemq; omnes, ubi uincit honestum
Commoda: turpis ubi lucri damnata cupido est.
Crimen ubi fraudi est: & habet sua præmia uirtus:
Et dignos manet altus honos sontesq; seuerum,
Supplicium, pœnæq; graues. & tristia fata.
Nec spes ulla datur leges uiolare precando:
Sordibus aut meritas precioq; euadere pœnas:
Non minus hic, humeros onerat qui torquibus aureis,
Ostentatq; suos, & imagine gaudet auorum:
Sons horret fasces, & turbida iudicis ora:
Quam pauper, presso & terram qui uersat aratro:
Assuetus uitam duro tolerare labore.
Iustitiæ hoc studium præstat, iurisq; seueri:
Hoc incumbe in opus, Rex, hæc tua proxima cura est.
Rex datus es populis, multis Rex urbibus unus:
Intentas in te mentes atq; ora tenere
Crede omnes: te ut spes cunctorum est omnis in uno.
Diues opes gazamq; suam, sua pauper & ipse
Te custode, tenet foribus securus apertis.
Ne quicquamq; manum plebs extimet ægra potētū.
Vim quicunq;, dolosue malos aut cætera passi
Damna uiri, a te Rex non a latrone reposcant.
Cunctorum tutela tua est, : tua gloria pax est:
Fraus omnis, scelus, & quodcunq; impune patratur,
Culpa tua est: quæ non castigat crimina Princeps:
Esse facit sua. non solos delicta nocentes
Distringunt: tangit pars maxima sceptra tenentem.
Nimirum ulcisci deses quę negligit ille:

Dicere fas erit hæc illo commiſſa patrono.
Ergo datas Regni dum Rex moderaris habenas,
Pacis amans urge uinclis & carcere ſontes:
Et maiora audens ferro delicta coerce.
Agricola ut quondam manibus ſata ſedulus inter
Luxurians lolium nocuaſq; eruncat auenas:
Ne lætæ noceant ſegeti, neu noxia terræ
Surgentes campis & triſtia farra relinquant.
Liuentemq; unco detruncat uitibus uuam:
Ne trahat attactu uindemia cætera labem.
Sic tu Rex medijs homines ex urbibus arce:
Ocia qui turbant, qui cædibus omnia miſcent:
Et gaudent damnis pacemq; odere nocentes.
Iuris item ſtudium & ueterum lege ſcita ſophorum:
Nec graue ſit cognoſſe; quibus tua Regna iuuari
Experiare olim; multaq; increſcere pace.
Romuleam ut juſtis fundaret legibus urbem:
Ad fortes quondam miſit Romanus Achiuos
Florentes ſtudijs populos, & pace potentes,
Vnde ſuis peterent leges, atq; inclyta iura.
Ne te pœniteat magnorum exempla Quiritum
Rex Auguſte ſequi; leges ſi forſan auitas
Non ſatis eſſe tuis populis Regnoq; uidebis:
Eia age, quid dubitas, Romani oracula iuris
Addere Sarmaticis; Graijs quæ ex urbibus olim
Adiecere ſuis concordes iura Quirites.
Hæc eadem te Rege ferant Auguſte Poloni,
Gens ſtudijs ſimilis, ſi bello Sarmata gaudet,
Bellatrix quoq; Roma fuit: gens ſcilicet ipſo

Marte

Marte sata : & magni dominator Romulus orbis.
Italia has leges patrijs adiunxit, & omnis
Gallia, pacis amans. has fortis Iberia seruat :
Littore qui extremo solem uidere cadentem .
Has multi tenuere homines, pars maxima mundi,
Se quondam experti non commoda parua sequuta.
Nec uanum audieris tēdentem Rhetora contra
Nescio quem : sacros ausum uiolare Quirites :
Sanctaqꝫ Romani damnare uolumina iuris :
Scilicet ille alio calamos conuertat, & Oestrum :
Ignarus, qua stet melius Respublica lege.
VLtima militiæ cura est (post sacra Deorum,
Iustitiamqꝫ æquis seruatam legibus) unum
Hoc tibi restat opus : studijs hærebis in istis.
Cernis ut infenso sedeas circumdatus hoste
Hinc atqꝫ inde, uides odia undiqꝫ : & uudiqꝫ bellum :
Ferro opus est, animisqꝫ, & docta in uulnera dextra.
Ocia tolle tuis : acuas ad prælia pubem.
Exerceqꝫ armis, madidæqꝫ relinquere mensæ
Coge tuos studium : iamqꝫ inde Polona iuuentus
Bellum amet, & sumptis concurrere gaudeat armis.
Turpe putet uinci, pulchrumqꝫ occumbere morti
Pro patria ducat uitam, & pro laude pacisci.
Pulsandumqꝫ manu discat non mœnibus hostem.
Hoc opus, hunc Augnste tuum cognosce laborem :
Non hic te studijs Graiorum accendero & armis :
Non acrem pœnum, aut fortes memorabo Quirites :
Sat pater unus erit : cuius nunc funera flemus,
Ipse tibi fuerit centum pro millibus unus.

Cuius & interitu, nisi tu succurris & audes:
Optima Sarmatiæ interijt pars. ergo parentem
Macte animis Auguste refer: tibi fortia facta
Magni imitanda patris, non nudi nominis hæres
Non Regni datus es, tibi pax, tibi bella colenda,
Relligio tibi: queis studijs clarissimus unus
Ante omnes Reges fuerat pater: illum age genti
Reddas: sic Regna reuocatum ut dicat ab astris
Sarmata, nunc tristis luget quem luce carentem.
Quicq; illo miserum plangens se clamat adempto:
Se fortunatum dicat te Rege Polonus.

EODEM AVTHORE.

Pace Sigismundus Rex, belloq; inclytus olim:
Quo nihil in terris sanctius, occubuit.
Sarmatia, Augustus, Bona lugent: luctus vbiq; est.
Hęc Regem: patrem hic, orba flet illa virum.
Orba virum Bona flet: patrem tu, Auguste, sed ipse
Et patrem populus, quod quoq; ploret ait.
Nanq; vt regnauit, populum moderatus vt ille est:
Non tam Rex, populi quam fuit ille pater.

ALIVD.

Rex ego Sauromatum morior longo obsitus ęuo:
Occubuisse licet creditus ante diem.
Rexi olim, retuli, colui: Rex, hostis, amicus:
Lege, manu, factis: Regna, trophęa, fidem.
Me extincto ciues lugent: tristantur amici:
Hostes quid? lachrymas non tenuere suas.
Nam quamuis graue sit vinci, at victore benigno
Amisso, causam cur fleat hostis habet.

ALIVD.

Vlta Sigismundum mors abstulit: ille quid ausus?
Osor erat belli: pacis amicus erat.

Quia

QVIA DIE CHRISTI RE- surrectioni sacro obijt.

Sauromatum Regem rediens styge Christus ab ima,
Vltima cum sancto luxerat hora seni.
Corripuit dextra morientem, atque intulit astris:
Noluit infernas cerneret ille domos.

ALIVD.

Mole Sigismundus situs est Rex ille sub ista,
Ille suis charus, charior ille Deo.
Exurgens erebo tulit illum Christus: ad astra
Non alio voluit iret vt ille duce.

ALIVD.

Infernas moriens Christus descendit ad vmbras:
Te morientem astris intulit omnipotens.
Spectemus summos si obitus, fatumque: videri
Quam Christus patri charior esse potes.

ALIVD.

Viuo Sigismundus: ne me fle Sarmata, vixi
Ante tibi: nunc post funera viuo mihi.
Viuo Deo: post fata pij, si viximus vnquam,
Viuimus: illa prior mortua vita fuit.

AD SERENISSIMAM Bonam consolatorium.

Fles Regem Regina: virum fles optima coniunx:
Regis mors lachrymis, mors quoque digna viri est.
Rex iustus, vir charus erat: re flendus vtraque.
Rex iustus populo, vir tibi charus obit.
Sed quia pars melior celsi tenet ardua coeli
Spiritus, & diuûm gaudia letus habet.
Cum populo Regina simul cape gaudia leta:
Quem luges, coeli gaudia letus agit.

ALIVD.

Pone modum lachrymis Bona: fletu absiste: beatas
Quem luges, sedes: astraque celsa tenet.
Gaudia terrarum qui si moritura reliquit:
Gaudia coelorum non peritura capit.

Gaudebat

Gaudebas homines inter quem viuere: quid nunc
Inter cœlestes fles habitare deos?

AD INCLYTVM SIGISMVNDVM Augustum Sarmatiarum Regem Cracouiam ingressum, Salutatio.

Salue Auguste: valeq; diu: Regnumq; guberna:
Et Iagellonis esse memento nepos:
Esse Sigismundi magni successor: & illud,
Quod magis est, tanti filius esse patris.
Nec matris genus indecorum: seu Sforciadum gens,
Seu tibi spectandus sanguis liberus erit,
Hinc Reges Rex, inde Duces Dux certis auitos:
Quæq; imiteris habes fortia facta virum.
Hæc, dum sceptra tenes, populo & das iura, memento:
Sic patrem æquabis: sic superabis auos.

CRACOVIÆ
Apud uiduam Floriani Vnglerij.
Anno post Christum natum.
M. D. XLVIII.
Cal: Augustis.